Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31717
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

ceterum observandum. addentes ut in eadem ecclesia nullus plures dignitates aut personatus habere presumat. et si curam non habeant animarum. Circa sublimes tamen et litteratas personas que maioribus sunt beneficiis honorande. cum ratio postulaverit. poterit dispensari. [margin: per sede apostolica]

Grave nimis est et absurdum quod quidam ecclesiarum prelati cum possint viros ydoneos ad ecclesiastica beneficia promovere. non verentur indignos [margin: assumere] quibus nec morum honestas nec litterarum scientia suffragatur. carnalitatis sequentes affectum. non iudicium rationis. Unde quanta ecclesiis dampna proveniant. nemo sane mentis ignorat. Volentes igitur huic morbo mederi. precipimus ut pretermissis indignis assumant ydoneos. qui deo et ecclesiis velint et valeant gratum impendere famulatum. fiatque de hoc in provinciali concilio diligens inquisitio annuatim. ita quod [margin: qui post] primam et secundam correctionem fuerit repertus culpabilis. a conferendis beneficiis per ipsum capitulum suspendatur. Instituta in eodem concilio persona provida et honesta. que suppleat suspensi defectum in beneficiis conferendis. et hoc ipsum circa capitula que in his deliquerint observetur. Metropolitani vero delictum superioris iudicio relinquatur: ex parte concilii nuntiandum. Ut autem hec salubris provisio pleniorem consequatur effectum. huiusmodi suspensionis sententia preter conscientiam romani pontificis. aut proprii patriarche minime relaxetur. ut in hoc quoque quatuor patriarchales sedes specialiter honorentur. De filiis presbyterorum

Ad abolendam pessimam que in plerisque inolevit ecclesiis corruptelam firmiter inhibemus ne canonicorum filii maxime spurii canonici fiant. in secularibus ecclesiis in quibus instituti sunt patres. et si fuerit contra presumptum. decernimus non valere. Qui vero tales ut dictum est canonicare presumpserit a suis beneficiis suspendantur. De clericis non residentibus

Extirpande consuetudinis vitium in quibusdam partibus inolevit. quod scilicet patroni ecclesiarum parrochiarum et alie quedam persone proventus ipsarum sibi pene penitus vendicantes presbyteris earundem servicio deputatis relinquunt adeo exiguam portionem ut ex ea congrue nequeant sustentari. Nam ut pro certo didicimus in quibusdam regionibus parrochiales presbyteri pro sua sustentatione non obtinent nisi quartam quarte. id est sextamdecimam decimarum. Unde fit ut in his regionibus pene nullus inveniatur parrochialis sacerdos qui vel modicam habeat periciam litterarum. Cum igitur os bovis alligari non debeat triturantis. sed qui servit altario vivere debeat de altari. statuimus ut consuetudine qualibet episcopi vel patroni seu cuiuscumque alterius non obstante. portio ipsis presbyteris sufficiens assignetur. Qui vero parrochialem habet ecclesiam. non per vicarium sed per se ipsum illi deserviat in ordine quem ipsius ecclesie cura requirit. nisi forte prebende vel dignitati parrochialis ecclesia sit annexa. in quo casu concedimus ut is qui talem habet prebendam vel dignitatem cum opor